Mota loco cur sim tuque per equoris undas
advehor ortigie veniet narratibus hora
tempestiva meis cum tu curaque levata
vultus melioris eris. michi pervia tellus
prebet iter subterque imas ablata cavernas
hic caput attollo desuetaque sidera cerno.
ergo dum stigio sub terris gurgite labor
visa tua est oculis illic proserpina nostris.
illa quidem tristis neque adhuc interrita vultu
sed regina tamen sed opaci maxima mundi.
sed tamen inferni pollens matrona tyranni.
mater ad auditas stupuit ceu saxea voces
attoniteque diu similis fuit utque dolore
pulsa gravi gravis est amentia curribus auras
exit in ethereas ibi toto nubila vultu
ante iovem passis stetit invidiosa capillis.
proque meo veni supplex tibi iupiter inquid
sanguine proque tuo si nulla est gratia matris
nata patrem moveat neu sit tibi cura precamur
vilior illius quod nostro est edita partu.
en quesita diu tandem michi nata reperta est.
si reperire vocas amittere certius aut si
scire ubi sit reperire vocas quod rapta feremus.
dummodo reddat eam neque enim predone marito
filia digna tua est si iam mea filia non est.
iupiter excepit commune est pignus onusque
nata michi tecum sed si modo nomina rebus
addere vera placet non hoc iniuria factum
verum amor est nec erit gener nobis ille pudori.
tu modo diva velis ut desint cetera quantum est
esse iovis fratrem quid quod nec cetera desunt.
nec cedit nisi sorte michi sed tanta cupido
si tibi discidii est repetet proserpina celum
lege tamen certa si nullos contigit illic
ore cibos nam sic parcarum federe cautum est.
Dixerat at cereri certum est educere natam.
non ita fata ferunt quoniam ieiunia virgo
solverat et cultis dum simplex errat in ortis
puniceum curva decerpserat arbore pomum.
sumptaque pallenti septem de cortice grana
presserat ore suo solusque ex omnibus illud
ascalaphus vidit quem quondam dicitur orphne
inter avernales haud ignotissima nimphas
ex acheronte suo silvis peperisse sub atris.
vidit et indicio reditum crudelis ademit.
ingemuit regina herebi testemque prophanum